

GVLIELMI BVDAEI,  
Consiliarii Regii libellorúm-  
que magistri in Prætorio,  
Forensia.



L V T E T I A E,

Excudebat Roberto Stephano typographo Regio,  
Conradus Badius.

M. D. XLVIII.

Ex Priuilegio Regis.

## ROBERTVS STEPHANVS LIBRARIVS

Regius, Lectori S. D.

GVILIELMVS Budæus homo omnium quos nostra tulit ætas, & doctissimus, & de literis optime meritis, paulo ante quàm è vitâ excederet, cum sua spõte, tum amicorum etiam qui hoc ab illo desiderari dicerent, hortatu, opus instituerat sane vtilissimum, quo omnia quæ in foro ac iudiciis corruptissimo pragmaticorum sermone significari quoquo modo solent, puris & Latinis verbis exprimi possent. Id opus etsi prope iam ad exitum perductum, imperfectum, subita vi morbi oppressus, cum reliquisset, vt nec quam absoluto inscriptionem vellet esse, satis animo constituisset: Budæi adolescentes egregia illi quidem in Remp. voluntate, sed nõ minore erga patrem pietate, veriti nequid de eius fama diminueretur, si liber ab ipso institutus, nec summa perpolitus manu, in publicum exiret: diu suppresserunt, in eoque perseuerarunt, paternis amicis crebrò vt emitteretur flagitantibus, exorari vt se posse plane negarent. Ad extremum cum super cæteras causas, quas illi quare librum edi oporteret, afferebāt, etiam periculum proponeretur, ne iis qui librum per causam inspiciendi acceptum raptim, & vt fere properando fit, perperam descripsissent, surreptum, quidam mendosissime suo nomine ederēt, qua re & studiosis damnum daretur, & Budæo, ipsiisque adeo, quorum paternæ opes interuenterentur, iniuria fieret: aliquando tandem cesserunt, & petentibus veniam dederunt: nobisque librum ea lege permisērūt, vt auctoribus adhibitis hominibus doctissimis, quibus & mens & manus patris non ignota esset (neque enim quivis ex Budæi chirographo inoffense legat, quòd is suam quandā nonnihil à vulgari differentem scribendi rationem teneat) descriptum, & cum exemplari diligentissime collatum, nostris formis exprimeremus. Quod sane ipsum, quāta potuimus fide ac diligentia præstitimus. Habes igitur studiosè Lector, opus sane egregium, & licet auctori posthumū, nullo tamen minus vtile eorum, quæ multa atque vtilissima Budæus ipse in vita edidit. Nihil enim in hac forēsi vita cogitari propemodū potest, cuius latine pronūtiandi nõ multos hic habeas & varios modos: vt tantæ latini sermonis opes nõ nisi à Budæo, id est ab homine copiosissimo, cuius omne studiū in eo semper versatū sit, vt Lingux vtriusque facultates quāamplissimas ad quancunque rem commodissime verbis explicandam haberet, congeri & parari potuerint. Huc accedit, quòd quicquid fere moribus institutisque nostris continetur, hoc in libro quasi tabula quadam Apellea, non tenuiter adumbratum, sed omnibus latinæ Lingux coloribus expressum cernere & intueri liceat: vt si quis rationem nosse velit, quam in iure dicendo, aut aliàs decernendo, cum minorum magistratuum subsellia, tum ipsa curiarum supremarum, quæ Parlamenta vocamus, tribunalia sequuntur, is omnem hic promptam & expositam habeat. Nec minore interim libertate ac stomacho, si qua aut ex temporū conditione, aut ex hominum culpa vitia inoleuerunt, qualia multa accidere vbiq̃ue necesse est, vt sunt res humanæ in deteriora fere

# Gulielmi Budæi, Consiliarii Regii, libellorumque magistri in Prætorio, Forensia.



**C**ARDINEM causæ in aliquo ponere aut constituere. Vtroque enim Quintilianus vitur. Est autem Cardo causæ, ipse causæ firmamentum. Quæ singula non iuuant, vniuersa profunt. Imperium inhibere, Exercere actum iustitiæ. Dirimere controuersiam, est finem imponere controuersia, quod Vacuare vernacula lingua vocat. Cicero 3. Officiorum, Quo magis reprehendendos Calliphonem & Dinomachum iudico, qui se contro-

uerfiam dirempturos putauerunt, si honestatem cum voluptate, tanquam hominem cum pecude copulaissent. Sic dirimere litem. Vlpia. Possunt tempora intra quæ quis litem dirimere iussus est, prorogari. Sic acies & iras Sabinæ dirimunt inter soceros & generos. Dirimere sententias eorum qui in lite iudicanda affuerunt, est Numerare & componere inter se sententias eodem pertinentes, & numerum numero comparare, & (si opus sit) diuidere. Hoc est, si tertia sit pars sententiarum numero minima, quæ ad alterutram propius accedere videatur. Vulgo, Ad concordiam redigere opinionones vocant, & summam colligere. Vt Dirimere suffragia. Varro libr. 3. de re Rust. Vis (inquit) dum dirimentur suffragia, villicæ utamur umbra. Id est, dum ex summis suffragiorum collectis, constituetur quis plurima puncta tulerit. In vetustioribus tamen codicibus legitur diribere. De iure autem diuidendarum sententiarum: in Annotationibus in Pandectas plenè diximus ex epistola quadam Plinii oratoris.

Ire ad inquirendum de re controuersa, & Inquirere, Faire l'enquête. & Inquisitor, qui inquisiuit.

Intercessionem patere, Surseoir l'exploit. & Intercessionis edendæ causa diem dicere, Assigner iour pour dire.

Iusta tibi possessione decedo. Id est, facio te possessorem.

Comitium, vulgo Castelletum vocatur Parisiis: & quocunque nomine alibi forum iudiciale vocetur. Comitiales causidici & cognitores, Du Chastellet. & Formula comitalis.

Expositiones causarum sinuosa, & alte repetita, Lōgs plaidoyers. Et Actiones causidicorum compendiosa, & recta ad summam questionem progredientes.

Altercandi vices legitima ad terras non produciuntur. Id est, non triplicare licet.

Falsi postulare instrumentum, Maintenir faulx. Et instrumentum falsi compertum & conuictum.

pragmaticos, quod instar est ergastulariæ cōditionis. Et sic quoque fora vñ-  
das litigantium æstuantes assidue hauriunt ac reuolunt. Adeo est hæc ætas  
controuersa, aut lites sunt Sirenes hominum tranquillitatis in tolerantium;  
& iudicia, Sirenum sunt scopuli, patrimoniorumque naufragia. Quin & eba  
filica quosdam victos & exhaustos sic abire videmus, vt Ajax apud Homerū  
ē prælio discedit, *ὡς ἔπειτα δὲ μάχης, ὁ ἄλκιον γὰρ πολεῖν ἀπέπλειον.*

Aduocatis quibusdam iandiu excessit ætas ē palæstra forensi, qui tamen ba-  
silicam almam suam nutricem vltimū salutare ante diem fati nequeunt.  
Tam blanda est capturarum consuetudo.

Litium curriculum in curia plerūque vltra quatuor aut quinque spatia por-  
rigitur: & præclara eorum sors esse putatur, qui septimo circi basilicani spatio  
cōfecto, id est post ærumnam septennii exhaustam, ad palmā peruenerunt.  
Græci *δορυχολομῆτες* appellant. Et huius tamen palmæ fructus non statim ple-  
runque, nec sine pulueris tactu percipi solet.

Quot & quantas controuersias excitauit olim inter philosophos dogma  
principiorum, finiumque bonorum ac malorum, tot tantæque, atque etiam  
longe plureis grandioresque interpretatio iuris, eadem multorum fortu-  
natrix pluriūque

Huic operi colophonem mors auctoris inuidit.

IVTETIAE,

EXCVDEBAT ROBERTO STEPHANO TYPO-  
GRAPHO REGIO, CONRADVS BADIVS, ANNO  
M. D. XLVIII. VI. NONAS MAII.